OPTIMO PRÆSULI

MANFREDO E NOBILIBUS BELLATI

QUA DIE FAUSTISSIMA

AD CENETENSEM EPISCOPALEM CATHEDRAM

OMNIUM LÆTITIA

evehitur

CENETÆ
TYPIS DOMINICI CAGNANI
Anno Domini MDCCCXLIII.

Digitized by Google

Optime Præsul

Solemni hac et exoptatissima die cupienti mihi jam silentio latere, quippe qui nihil promere poteram tuis meritis dignum, communis Clericorum Conlegii amica vox obstitit; quibus parendum fuit, ne si in negando pertinax essem, superbiæ denique arguerer. Tibi igitur carmina hæc inscribere volui, Ornatissime Præsul; munus si ex Tua Dignitate spectetur, perexiguum; si ex viribus meis, vix mediocre; si ex animo, magnum, ut non modo mei cordis lætitiam, et meam erga Te observantiam, verum etiam Clericorum omnium, qui Episcopali Conlegio degunt, quique mihi (fatebor enim) dulcissima sunt curarum mearum, significarem.

Atque hoc observantiæ, et amoris pignus jure Tibi exhibetur. Nam quis ignorat, quot quantisque virtutibus splendeas, quibus omnes, qui Te norunt mirifice diligunt, et per eas, majorem Tibi dignitatis accessionem fieri minime dubitant?

Potuit ne quisquam Tecum vel brevissimo temporis spatio vivere, tuæque suavitatis partem aliquam gustare, quin ut sibi totam ætatem tecum exigere liceret optaverit? Sed nolo nunc plura de Te, ne ipsi Tibi molestus sim.

Digitized by Google

Interim Te enixe precor, ut æquo animo hoc exiguum munus accipias, humaniter, et me, et Conlegiales Clericos habeas, hocce sacrum Ovile a tuo Benemerentissimo Antecessore paratum, auctumque summa cura, propriisque impensis ab Illustri Illo Viro, qui ad hanc usque diem Cenetensem rexit Ecclesiam suo viduatam Pastore, frequenter convenias, tuaque Pastorali Benedictione sanctifices.

Cenetæ in Episcopali Clericorum Conlegio

Humillimus addictissimus
CAROLUS NARDI P. Rector.

Digitized by Google

ECLOGA ALLEGORICA

Corydonem inter et Tityrum

agri Cenetensis Pastores, qui de aquisito Pastore Amynta

invicem gratulantur.

Cor. Tityre coge pecus, latisque errantia campis
Ad veteres armenta domos, et ovilia nota
Ducito; jam ventis languent hyemalibus herbæ,
Jamque nocent dulces umbrati ex ilice fontes:
Pastæ pinguia linquite prata, domum ite Capellæ.

Tit. Ite; jubet Corydon, Corydon mihi carior unus,
Quam salici fontes, aut altæ vitibus ulmi.

Cor. At tu silvestrem, toties qua proxima dulce
Sylva sonat numeris, lætus tentabis avenam.
Tu cantus meditare novos. Audistin ut illuc
Mopsusque, et Licydas, Faunique, et cætera nobis
Nota cohors sumat Magni Pastoris Amyntæ
Virtutes celebrare, ac inclyta dona per orbem?

Tit. Audieram, monuitque etiam me Panos ad ædem
Inter pastores princeps Mælibeus, et ipse
Ipse ego sublimi rupis de vertice pingues
Aspicio dum lætus oves, procul ordine longo
Permultos vidi redimitos tempora sertis
Pastores hac ire via, festisque vicissim

Plaudere carminibus, dum altis concentibus auræ
Sylva, nemusque tuum repetebant nomen Amyntæ.
Cor. Has inter laudes quid tu, quid Tityre dicis?
Tit. Nostra quidem tenui modulari assuevit avena
Carmina, et inculte maternis ludere sylvis
Musa, nec Heroas sublimi voce, Deosque
Dixit adhuc; sylvæ calamis agrestibus aptæ.
Insuetos animosa tamen meditabitur ausus,
Et solito majora canet. Sic annuat æqua
Cœptis mente Pales: Felix o Patria felix,
Et Magnis dilecta Diis, cui præsit Amyntas.
Aurea jam nostris surgit pastoribus ætas,
Quam cecinit sacra divinus mente Menalcas.
Cor. Verba equidem sacri memini senis illius, etsi
Tot sua tam cæcis oracula sæpe tenebris
Velaret; sic nempe decet sacra verba profari.
Quot Vates et quanta tuo portendit ovili
Commoda, cum nostri custos gregis esset Amyntas!
Tunc, ait, haud metuent sævos armenta leones,
Quæque truces fugit agna lupos, secura per omnes
Impavide pascetur agros, tutæque fruentur
Quæsito capræ cythiso; non herba nocebit,
Non umbræ lædent, tristisve examina taxus.
Talia prædixit: fato tamen actus acerbo
Illos non vidit, quos jam portenderat annos.
Tit. Et quæ signatæ servant præsagia fagi

Nonne ferunt ipsum falce inscripsisse Menalcam?
Fagus si memini, medio densissima luco,
Hoc habet incisum rugoso cortice carmen:
Pastor erit Gente Illustris, virtutibus atque
Major, qui patrias postquam perfuderit oras
Lumine conspicuo, nostrum defendet ovile.

Cor. Quam bene designat paucis hæc fagus Amyntam!

Tit. Plura tamen dicenda manent; nam major Amyntas.

Cor. Jure igitur doluere greges, doluere Coloni,
Montanique diu posita jacuere cicuta
Pastores, subito quibus est ereptus Amyntas.

Tit. Jure igitur nostri lætis plausere choreis,
Et lauro cinxere comas, et munera templis
Appendere, quibus cœlo est concessus Amyntas.

Cor. Nos quoque privatos ad publica gaudia plausus
Tityre jungamus, rurisque labore relicto
Donec ad Hesperias abit undas Phæbus, Amyntæ
Virtutes plectro quamvis rudiore canamus.

Tit. Dum salices ovibus, lascivis arbutus hædis,
Quercus apris dum dulcis erit, fontesque, lacusque,
Qua Cenetæ dominantur agelli, Nomen Amyntæ
Excipiet nostro descriptas carmine laudes.

Cor. Ante lupus jungetur ovi, milvoque columba,
Et media Phæbus lucebit nocte, et aratro
Findetur cœlum, et pelagus producet aristas,
Quam tanti cessem silvestri efferre camœna

Digitized by Google

Inclita facta Viri. Colles, nemora alta, caveque
Carminibus nostris resonabunt undique valles,
Et Nomen referent, laudabile Nomen Amyntæ.
Tit. Nempe probat nostram, quamvis sit rustica, Musam,
Atque inculta licet compensat carmina Amyntas.
O quoties nostris mercedem versibus altam
Ponet ovem, vel quæ jamdudum pocula servat
Divinis incisa notis: *sua prœmia quemque*
Et meritis majora manent; Felicia musis
Tempora contingent posthac, felicia ruri.
Cor. Jam sacer irriguis curret fons purior undis,
Lucidiorque fluet dulci pastoribus haustu.
Tit. Jam campus teneris florebit pulchrior herbis,
Nutriet uberior defessos gramine tauros.
Cor. Ut pingues nostris nascentur ovilibus agni!
Tit. Et nitidis ovibus quam mollia vellera crescent!
Cor. Ilice mela cadent: *Tit.* Magnos feret uva racemos.
Cor. Lataque non capiet collectas area messes,
Quas dabit alma Ceres. *Tit.* Nec dulcia quæ hortus avaro
Agricolæ cella claudentur poma capaci.
Cor. Cætera quid referam? Fontis properemus ad undas
Mopsus ubi Lycidasque sonis circum æthera complent.

---

33 349715